

HEINRICVS PRAESVL SVERINENSIS.



**H**Einricus Vuangelin ob rerum prudentiam & uitæ integritatem 22 episcopus Suerinensis in Vandalia constitutus fuit, eo tempore cum Concilium uniuersale Constantiæ celebraretur. Sub eius administratione principes Megalopolenses à Martino pontifice Rostockij Academiam impetrarunt, atq; eam multis priuilegijs exornarunt. In eo loco Heinricus cancellarius constitutus fuit, anno 1419. Itaq; is pro sua diligentia omnia dispossuit, professores conduxit, auditoria constituit, atque nihil quod ad eius academiæ honorē pertinebat intermisit. Hinc factum ut ipse ob literarū studia ijs in locis feliciter promota, magnam apud posteritatem uirtutis opinionem nactus sit. Albertus Crantz, in Metrop. libro undecimo capite 22.